



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Decimum Quintum. Encomium Marianum Decimum Octavum. Virgo
Clemens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

percepit humilitatis meæ odorem suavif-
 simum, qui tantum illi placuit ut illius ille-
 ctus odore in hanc lachrymarum vallem
 descenderit & ex meis sacris visceribus car-
 ne se vestiret. verba *Ruperti* sunt: *Rex in ac-
 cubitu suo verbum est in sinu Patris, & dum ita
 esset, nardus humilitatis MARIÆ dedit odo-
 rem suum, cujus odore delectatus descendit in
 uterum suum.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

*Encomium Marianum Decimum
 Octavum.*

VIRGO CLEMENS.

Quemadmodum docent unanimiter
 cum Doct. Angelico omnes Theo-
 logi in Tract. de Incarnat. Christus Domi-
 nus habuit omnes virtutes infusas ab in-
 stanti incarnationis, illis solum exceptis
 quæ imperfectionem ex natura sua impor-
 tant, quales sunt fides, spes, poenitentia, &c.
 Cum fides importet obscuritatem, spes ab-
 sentiam boni, concupiti, poenitentia autē
 præsupponat peccatum, quod in Christo

locum

locum habere non potuit: sic & aliæ virtutes quæ ordinantur ad moderandas animi passiones fuerunt quidem in illo, sed in gradu heroico, idest seclusis imperfectionibus: eò quod in Christo non fuerint passiones, sed solum propassiones: Pari vere modo de gloriosissima Christi Matre Virgine differendum est: in ipsa siquidem vel non fuerunt passiones ut vult *D. Thomas* vel si fuerunt ut volunt alij, ita fuerunt ligatæ per gratiam, ut numquam potuerint illi esse causa peccati: quamvis probabilius sit asserere cum *D. Thoma* non fuisse in illa passiones inordinatas, eo quod fomes peccati, & radix passionum fuerit in illa prorsus extinctus ut est communior Theologorum & sanctorum Patrum opinio: sic ergo est, & in ipsa *Clementia*, de qua in præsentis nobis est sermo ut non immerito toties hanc ipsam *clementissimam calorum Reginam*, *Reginam clementiæ & pietatis* similibusque titulis compellent S. Patres.

§. I.

INter virtutes nulla est quæ ita deceat Reges, principes, Magistratus & superiores sicuti *Clementia* uti enim secundum na-

ruralistas cor est principale membrum in homine, & ideo proprium sanguinis domicilium, illius generativum, contentivum, conservativum, & ad omnia alia membra diffusivum: ita pari modo oportet eos, qui sunt veluti cor Ecclesiæ, principaliaque membra illius, superiores, Dominantesq; in grege, sanguine, id est *benignitate & clementia* esse pleniore, quia scilicet ista virtus debet in eis principaliter habitare, & ab ipsis ad alios dimanare: valde enim decet quemcumque superiorem ut in factis suis clemens sit & benignum & amabilem in omnibus se ostendat: unde & Seneca lib. *de clementia* ait: *Nullum clementia magis quàm Regem decet*, causamque mox subdit: *Nam majestas pestifera vis est ad nocendum*: Definit autem citat. *Seneca clementiam lib. 2. cap. 3. Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi, vel lenitas superioris, adversus inferiorem in constituendis pœnis*. Et infra *Clementia ait est moderatio aliquid ex merita ac debita pœna remittens*. Si ullus unquam profecto in hac virtute excelluit, excellitque etiamnum *clementissima calorum Regina*: ut non incongrue in eam adoptentur verba sapien-

sapientis *Prov. 20. misericordia & veritas custodiunt hanc Reginam & clementia roborabitur thronus ejus.* Et quod in Reges Israël olim ab Assyrijs prolatum est in ipsa solum & filio ejus verificetur: Reges *Israel clementes sunt: 3. Reg. 20.* vere enim solus hic Rex Christus & Regina Israël *clemētes* sunt. Imo tanta est hujus gloriosissimæ Reginæ clementia, ut teste *Seraphico Bonaventura* finem nesciat : inquit enim ad eam in suo *Psalt. Mar. Psal. 104. Clementia tua non deficiet à seculis aternis & misericordia tua in generatione in generationem:* Et iterum *Pf. 146. Magna est inquit virtus & gratia illius & clementia illius, nullum habebit finem.* Et deniq; in explicatione salutationis Angelicæ hoc modo eam salutat.

O clemens indigentibus,

O pia exorantibus,

O dulcis diligentibus.

O clemens pœnitentibus,

O pia proficientibus,

O dulcis contemplantibus.

O clemens in aspectu, O pia in affectu,
O dulcis in amplexu.

T 5

§.2.

§. 2.

DE Regina *Hester* ferunt sacrae litterae, quod cum non vocata ingressa fuisset ad Regem, ac ex hoc mortis rea facta esset, Rex quidem initio furorem pectoris sui indicaverit, at videns eam animo super hoc anxiam, mox è throno suo exiliens virgam auream in signum *clementiae* ad eam extendit. Non aliter vera illa *Hester* Virgo sacratissima peccatoribus sese pie invocantibus *clementiam* à filio impetrat, & furorem irae Dei in mansuetudinem convertit, ut non immerito eam alloquens pientissimus *Thaulerus*: *O'quoties inquit tremendi Iudicis sententiam aut mitigasti aut avertisti: Citius caelum cum terra perierit, quam tu aliquem serio te invocantem tua ope destituas: Revera tu es & diceris Mater Regina misericordiae: addam ego clementiae ad stipulante mihi & Seraphico Bonaventura qui eam fontem clementiae non dubitavit appellare, saluum me fac inquit Psal. II. Mater pulchrae dilectionis, fons clementiae & dulcor pietatis: & Ludovico Blasio, qui eam clementiae parentem appellare non dubitavit: Ave inquit summae clementiae, summaeque laetitiae beatissima Patrens*

rens MARIA, per quam caelestis Benedictio & felicitas aeterna ad nos dimanavit, cujus memoria exhilarat mæstos, cujus contemplatio sanctos demulcet, &c. Et profecto sic decuit: decuit inquam matrem filio per omnia assimilari, ac proinde sicuti mitissimus & clementissimus fuit filius, ita mitissima & clementissima fuit Mater: Neminem à se unquam repulit, neminem sine beneficio dimisit, pauperes eligit, parvulos admittit, turbas & Apostolos post Christi in cælos assensum docet. Et denique omnibus misericordia & clementia Matrem se exhibet. Hanc ergo & nos incessanter compellemus consuetae hymni Mariani verbis:

*Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac & castos.*

Quod si mansuetis & mitibus hæreditas terræ promissionis promissa & reservata est, juxta Christi proloquium: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*: Debit certe mansuetissima fuisse Mater Dei, Virgo gloriosa, utpote quæ excellentissimam partem hæreditatis cælestis, & primam

nam inter omnes Dei electos post filium suum obtinuerit, cælorum Imperatrix Augustissima, ab eodem constituta.

Moyſes qui ex opilione totius Israëlitici exercitus pastor ductor & princeps fuit à mansuetudine sum̄is laudib⁹ extollunt sacræ paginæ, quod esset *vir mitissimus super omnes homines qui versabantur in terra*. Et si dictis divini *Dionysij* fidem astruimus ob hanc solam causam *Moyſes* Deo tuit familiarissimus, quia erat mitissimus, imo omnibus Prophetis dignior quia omnibus mitior : Nec prius divinam amicitiam læsit quam à mansuetudine nonnihil defecit: Magna quidem *Moyſis* mansuetudo, at longe major virginis benedictæ, quam benedicemus in mansuetudine *Moyſis* Magistræ; credendum utique quod sicuti nulla alia creatura filio Dei incarnato fuerit similior in omni perfectione & virtute, sic & credendum nullum alium in tantum fuisse imitatum doctrinam & instructionem filij sui, qua dicit : *Discite à me quia mitis sum & hūilis corde. Mat. 11.* credēdū quoq; quod sicuti olim in *Tabrobana Insula* teste *Selino* ille solum Rex eligebatur, qui spectatis moribus

bus habebatur, & qui erat inveteratæ clementiæ, sic etiam cæli terræq; clementissimus Dominus, non aliam elegerit in cæli terræque Imperatricem, quam quæ clementiæ laude esset nominatissima & excellens.

Ulterius excellentiam clementiæ virginis benedictæ colligere licet ex conditionibus quas requirit in homine mansueti. *Chrysostomus Hom. 29. ad pop. Antiochenum: Mens inquit hominis mansueti, montis vertici similis est, auram quidem habenti tenuem, purum vero radium, pura fontium fluentia, multasq; florum amœnitates: & sicut dies clara & serena, ita animus est mansueti. Cum calum est in nube, cum sol ridet omnia longe jucundiora, quam cum fœde ruunt supernæ potestates: sic & oris mansueti homo dictis suis factisque omnibus incredibilem aspirat gratiam solâ mansuetudinis serenitate.* Quis quæso perfectius has ostendit in se conditiones, quam virgo mansuetissima, inter tantas tempestatum procellas, tot suos & filij dolores tota serena permanens ? sed de his infra.

CAPUT